

in citato libro a Concilio Tridentino praescriptum fuisse contendi), sed potius, supposito illo sensu positivo Decreti Tridentini, conatum fuisse benigne explicare Caietanum, ne videretur menti Concilii contraxisse. Hoc manifeste apparet ex eius verbis. Ut tamen haec intelligantur praemittendus est locus Caietani, qui controversiae occasionem dedit. Legitur hic in Praefatione ad eius Comment. in Pentateuchum ita: « Si quando occurrerit novus Scripturae sensus, textui consonus. . . *quamvis a torrente doctorum sacrorum alienus*, aequos se praebant censores: » et paulo post: « Non itaque detestetur (lector) novum Scripturae sensum ex hoc quod dissonat a priscis doctoribus, sed scrutetur perspicacius textum ac contextum Scripturae, et, si quadrare invenerit, laudet Deum, qui non alligavit expositionem Scripturarum sensibus priscorum doctorum, sed Scripturae integrae sub Catholicae Ecclesiae censura; alioquin spes nobis erepta esset exponendi Scripturam Sacram, nisi transferendo, ut aiunt, de libro in quinternum. » Haec itaque verba quae a plerisque damnata sunt, Pallavicinus conatur benigne explicare hac ratione: « Il detto del Gaetano non osta al Decreto del Concilio. Vieta il Concilio che alla Scrittura si dia interpretazione contraria al modo con cui unanimemente la intesero i Santi Padri, e ciò nelle materie di fede o di costumi. Ora il Gaetano (comunque il Cano lo intenda) nè parla di queste, nè dichiara che sia lecito mai di contrariare al senso unito de' Santi Padri, ma bensì che sia lecito il dare alla Scrittura una esposizione affatto nuova e diversa da tutte le loro. » Coeterum ipse Pallavicinus in capite praecedenti reprehenderat nimiam libertatem Caietani in Scripturis exponendis, praesertim in citato commentario in Pentateuchum, quem pulchre comparat pavonis pedibus (1).

(1) Ait enim cap. 17 respondens Lutheranis et Sarpio Caietani auctoritatem opponentibus: « Quanto al Gaetano il parlare intorno ai suoi commenti sopra la Scrittura, è un parlare non intorno alle penne ma sì ai piedi d'un bellissimo paone, essendo avvenuto che ove quel grande intelletto nelle altre opere fu ammirato, in queste per lasciarsi egli trasportare dalla guida di chi meglio intendeva la grammatica ebraica che i misteri divini, rimanesse inglorioso. Anzi con quella esposizione mosse Gabriele Prateolo Vescovo di Chiaramonte a connumerarlo fra gli eretici. »

## ARTICULUS II.

### CRITERIA ET REGULAE QUAE EX INDIRECTO AC GENERALI ECCLESIASTICI MAGISTERII INFLUXU IN SACRAE SCRIPTURAE INTERPRETATIONEM DERIVANTUR

Huiusmodi criteria revocantur ad *analogiam fidei* catholicae, seu integrae doctrinae, quam Ecclesia docet ac praedicat, cuius consideratio interpretem dirigere debet etiam in iis locis Scripturae, de quorum interpretatione Ecclesia nullum definitivum pronuntiavit iudicium.

Vox ista *analogia fidei* ex Paulo desumpta est Rom. XII, 6, ubi recurringt haec verba: *αναλογία της πιστεως*. Potest autem in genere definiri: *Complexus, harmonia et congruentia existens inter veritates revelatas et a fidelibus credendas*. Potest autem considerari analogia vel inter solas veritates in Scripturis revelatas, vel inter omnes veritates quas Ecclesia credendas proponit, sive in Scripturis contineantur, sive tantum in traditione, sive in utroque simul revelationis fonte. Si primo illo modo consideretur dicitur analogia *fidei biblicae*, si altero modo dicitur analogia *fidei catholicae*. Protestantes primam tantum admittunt, quae fere confunditur cum parallelismo biblico doctrinali, quia nempe nullum alium agnoscent revelationis ac fidei fontem praeter Sacram Scripturam. Ab his non multum recessi Iahnus in cit. §. 32. *Enchiridii Herm. gen.* ubi affirmare non veretur nullam in hermeneutica habendam esse rationem auctoritatis Ecclesiae qua talis, et tantum concedit respiciendam esse veterum doctorum expositionem Sacrae Scripturae, quemadmodum in intelligendis veterum philosophorum scriptis utiliter consuluntur eorum discipuli ac sectatores. Verum omnes senioris mentis, et orthodoxi catholici scriptores omnino contendunt integram Ecclesiae catholicae doctrinam, seu analogiam *totius fidei catholicae* prae oculis habendam esse, quae quidem formaliter continetur in vivo magisterio Ecclesiae seu publica praedicatione, materialiter vero in authenticis Ecclesiae decretis dogmaticis, et in symbolis fidei ab Ecclesiae auctoritate vulgatis aut saltem receptis, nec non implicite in publica et universali Ecclesiae praxi. Sub hoc respectu

considerata analogia fidei verum criterium biblicae interpretationis, semper quidem negativum, saepe autem et diversimode etiam positivum constituit. Haec omnia in sequenti Thesi breviter ostendemus.

THESIS XV.

*In caeteris autem Scripturae locis, quae determinatam ab Ecclesia et Patribus interpretationem non receperunt, interpres Catholicus dirigi perpetuo debet analogia fidei, non solum biblicae, ut volunt Protestantes, sed totius fidei catholicae a supremo Ecclesiae magisterio definitae; quae quidem non tantum negativum praebet criterium falsae interpretationis vitandae, sed etiam positivam normam ad verum locorum dogmaticorum sensum determinandum.*

I. Analogiam fidei biblicae solam non sufficere ex principiis sanae Theologiae manifestum est. Siquidem Scriptura non potest haberi tamquam unicus fons revelationis, cum neque omnes omnino veritates revelatas contineat, neque doctrinas quas continet semper clare et sub omnibus respectibus repraesentet. Admittendus est igitur alius fons unde plenius et evidentius tota doctrina revelata hauriri possit, qui alius non est quam traditio divina per Ecclesiae publicum magisterium conservata, declarata, ac authentice fidei christianorum proposita, seu uno verbo *analogia fidei catholicae*. Haec licet supponere possemus praestabit tamen paucis confirmare.

Itaque 1<sup>o</sup> ipsa Sacra Scriptura saepe indicat alium fontem, ad quem lectores remittit, ut facit ex. gr. Paulus Rom. XVI, 17, 1 Cor. VII, 17, 2 Tim. II, 2 et alibi, ubi oralis praedicationis, et ecclesiasticae traditionis mentio fit, tamquam uberius fontis revelatae veritatis. 2<sup>o</sup> Eadem est unanims Patrum sententia, quorum plura testimonia in praecedentibus Thesibus recitavimus, alia inferius proferemus. 3<sup>o</sup> Denique ipsa religionis Christianae historia rem confirmat: scimus enim Christum et Apostolos totam doctrinam revelatam initio non scriptis sed viva voce promulgasse, declarasse et Ecclesiae tradidisse, quae proinde totum depositum revelationis possidebat antequam inciperet scribi N. F. Cum vero Apostoli eorumque discipuli ad scribendos Sacros Libros accesserunt

minime eis propositum fuit totum illud scribere quod praedicabant, aut praedicaturi erant, ut evidenter apparet ex scopo et indole singulorum librorum, qui partialem tantum, et speciali cuidam occasione respondentem doctrinae expositionem continent. Sed haec innuisse sufficial.

II. Admissa igitur existentia *analogiae fidei catholicae* multo amplioris et plenioris simplici analogia biblica, facile erit ostendere analogiam illam prae oculis habendam esse tamquam normam seu criterium in Sacra Scriptura exponenda. Ut autem superius innuimus, criterium hoc adhiberi potest cum *negative*, tum etiam *positive*, unde sequentes regulae.

1<sup>o</sup> *Omnis interpretatio analogiae fidei catholicae repugnans eo ipso abicienda est.*

Veritas huius regulae huic principio innitur: doctrina in Scripturis consignata, et doctrina ab Ecclesia proposita seu in analogia fidei catholicae comprehensa ex eodem fonte veritatis procedit, seu a Spiritu Sancto. Idem enim Spiritus qui Scripturas inspiravit, etiam alias veritates in Scripturis omissas docuit, idemque etiam Ecclesiae assistit in toto revelationis deposito custodiendo et explicando. Cum igitur impossibile sit Spiritum Sanctum sibi met contradicere, impossibile quoque est aut Scripturae sensum contradicere doctrinae Ecclesiae, aut Ecclesiam aliquid docere quod Scripturae repugnat. Confirmatur regula ex testimoniis Patrum alias adductis, qui haereticas Scripturae expositiones passim refellunt ex hoc quod Ecclesiae fidei ac traditioni repugnent.

Exempla potissimum ex N. T. quamplura afferri possent. Ita quod legimus Io. XIII, 4–12 de lotionem pedum a Christo peracta a nonnullis intelligebatur ac si Christus ibi ritum *Sacramentalem* insitisset: nec deessent in contextu et adiunctis huius facti speciosae rationes ad hunc sensum confirmandum. Verum obstat certissima et constans Ecclesiae doctrina de septenario numero sacramentorum novae Legis: ergo interpretatio illa absolute reiicienda est. Ita etiam verba Christi Eucharistiam insituentis sub duplici specie, et deinde Apostolis praecipientis: *hoc facite in meam commemorationem*, si in contextu et in adiunctis spectentur facile possent accipi de positivo praeecepto Eucharistiam fidelibus ministrandi sub utraque specie panis simul et vini. Verum Ecclesiae doctrina

ac praxis hanc interpretationem excludunt. Idem dicendum est de eadem SS<sup>ma</sup> Eucharistia non necessario infantibus praebenda, licet verba Christi Io. VI, 34 hunc sensum per se habere possent. Idem quoque de celebri Christi dicto Matth. XIX, 9: « Dico autem vobis quia quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, et aliam duxerit moechatur: et qui dimissam duxerit moechatur. » Quod exceptionem videtur continere legi indissolubilitatis matrimonii, nec contextus aut loca parallela apodicticam suppeditant argumentum ad eam excludendam: quae tamen exceptio admittenda non est, sed alia interpretatio quaerenda ob fidei analogiam, quae matrimonium christianum ratum et consummatum absolute indissolubile esse docet.

2° *Quamvis non omnis interpretatio analogiae fidei catholicae conformis eo ipso statim admittenda sit ut verus Scripturae sensus, nihilominus consideratio eiusdem analogiae fidei etiam positive ad rectam Scripturae expositionem inveniendam interpretem iuvat ac dirigit.*

Itaque imprimis fatemur criterium analogiae fidei non semper positive applicari posse. Fieri enim potest ut aliqua interpretatio in se inspecta conformis sit analogiae fidei, et tamen non repraesentet mentem auctoris in loco de quo agitur: ita ex. gr. Protestantium expositio verborum Christi Io. XX, 23: « Quorum remisistis peccata remittantur eis, » quasi per illa verba Christus Apostolis tradiderit potestatem praedicandi Evangelium et per praedicationem excitandi fidem, per se non repugnat fidei analogiae; verum est enim Ecclesiae pastores hanc potestatem et hoc officium a Christo Domino accepisse, illudque ad fidem excitandam et ad fidelium salutem procurandam directum esse: attamen falsum est hunc esse verborum illorum sensum, quae de alia prorsus potestate intelligenda sunt, absolventi scilicet aut retinendi peccata *iudicialiter* in Sacramento Poenitentiae.

Verum ex alia parte omnino certum est interpretem ex consideratione analogiae fidei maxime iuvari in vero sensu inveniend. Quod ita demonstrari potest.

Arg. 1° ex rei natura. Sane analogia fidei catholicae comparata cum locis doctrinalibus Scripturae se habet ut *totum* comparatum cum *parte*, et ut *clarum* comparatum cum *obsuro*. Atqui sana

ratio docet partem doctrinae ex toto doctrinae complexu aliunde cognitae plenius et certius intelligi et explicari posse, itemque ea quae sunt obscura ex clarioribus esse illustranda. Ergo. Quae diximus in maiori propositione ex Theologiae principiis, et ex alias demonstratis consequuntur. Siquidem vidimus non totam revelatam doctrinam, sed eius partem in Scripturis contineri: contra vero in Ecclesiae traditione et in vivo eius magisterio omnes revelatae veritates comprehenduntur. Insuper certum est ex experientia, imo ab ipsis Protestantibus nunc ultro admittitur, Scripturam etiam in partibus dogmaticis saepe obscuram esse: nec enim Hagiographi propositum habuerant singulas doctrinas evolvere, enucleare, et debitis explicationibus munire, hoc enim reservabant orali praedicationi, et iugi pastorum Ecclesiae magisterio. Contra vero illa ipsa doctrinae capita quae obscure hic illic traduntur in Scripturis, planissime et clarissime cum omnibus necessariis explicationibus ac bene definitis formulis inveniuntur in analogia fidei catholicae. Ex utroque igitur respectu analogiae fidei cum Scriptura comparatae deducitur eam positivum adminiculum interpreti praebere ad recte intelligendam Sacram Scripturam. Ne tamen aequivocatio oriatur animadvertimus haec omnia nequaquam esse intelligenda eo sensu quod in singulis locis dogmaticis exponendis debeamus supplere quidquid circa eandem veritatem ex Ecclesiae magisterio didicimus: hoc enim esset vitium interpretationis, non enim omnia quae de aliqua doctrina revelata sunt debuerunt in uno eodemque loco intelligi et exprimi a sacro Auctore, sed hoc tantum contendimus, illud ipsum quod ab Hagiographo expressum est non solum sine errore intelligi, sed et accuratius et clarius, simulque facilius percipi ab eo qui aliunde totam doctrinam perspectam habet.

Arg. 2° ex testimonio et agendi ratione ipsorum Hagiographorum. Hagiographi enim in tradendis iis quae ad fidem et mores pertinent, vel supponunt in lectoribus uberiores ipsius doctrinae notitiam per ecclesiasticum magisterium acceptam, vel ad subsequenter oralem instructionem eos remittunt, quod nihil aliud est quam analogiam fidei designare tamquam criterium ad plenius et clarius intelligenda ea quae scripta sunt. Loca huiusmodi satis obvia sunt. Ita Paulus 1 Cor. VII multa de virginitate et matrimonio breviter perstringit, nec non de aliis vitae statibus, supponens

ea quae viva voce de iis docuerat, et ad ea appellans inquit v. 17: « Sicut in omnibus ecclesiis *doceo*. » Ita etiam circa mysterium Eucharistiae cap. XI ad praecedentem praedicationem lectoris remittit v. 23 inquit: « Quod et *tradidi* vobis » ut etiam facit Cap. XIV, v. 33, et 2 Cor. I, 18 et emphatice Gal. I, 18 et 9, item Phil. IV, 9 inquit, postquam plura docuisset de excellentia Evangelii Christi et de fructu patientiae: « Quae et *didicistis*, et *accepistis*, et *audistis*, et vidistis in me, haec agite: et Deus pacis erit vobiscum, » et clarissime in 1 Thess. IV lector hortatus ut a vitis absterneant ait v. 2: « Scitis enim quae *praecepta dederim vobis* per Dominum Iesum, » et 2 Thes. II, 15: « Itaque, inquit, fratres, state et tenete *traditiones*, quas didicistis *sive per sermonem, sive per epistolam nostram*. » Eadem habet 2 Tim. III, 2. Similiter Iohannes 1 Io. II, 7 ait: « Charissimi, non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio: mandatum vetus est *verbum quod audistis*, » et paulo post de summa Christianae religionis loquens scribit v. 20, 21 et 24: « Sed vos unctioem habetis a Sancto, et nostis omnia. *Non scripti vobis quasi ignorantibus veritatem*, sed quasi *scientibus eam*. . . . Vos quod *audistis ab initio*, in vobis permaneat: si in vobis permanserit quod *audistis* ab initio, et vos in Filio et Patre manebitis. » Quemadmodum et in Epistola 2<sup>a</sup> postquam exhortatus fuisse Electam eiusque familiam ad cavendos seductores, et ad acceptam doctrinam intactam servandam concludit v. 12: « Plura habens vobis scribere, nolui per chartam et atramentum, spero enim me futurum apud vos, et *os ad os loqui*, » quod etiam repetit Gaio in fine Epistolae 3<sup>a</sup>. Manifestum est ergo Hagiographos voluisse ea quae scribebant intelligi iuxta normam eorum quae vel antea vivae vocis oraculo fuerant fidelibus tradita, vel quae deinceps erant tradenda. Iamvero Ecclesia tum ea quae scripta sunt, tum ea quae viva voce tradita fuerunt a Christo et Apostolis accepit et fideliter conservavit, et insuper potestatem habet ea sub Spiritu Sancti vigilantia et assistentia fidelibus explicandi ac proponendi. Ergo etiam nunc eadem relatio existit inter veritates in Scriptura consignatas et Ecclesiasticam praedicationem, seu totam fidei catholicae analogiam, ut illae ex ista intelligi ac explicari possint, imo debeant.

Arg. 3<sup>a</sup>. Ex Patrum testimonio ac praxi propositae regulae validissime confirmantur. Testimonii superius adductis, quorum nonnulla huc etiam referri possunt, pauca addere placet. S. Basilius in lib. de Spir. S. (tom. III edit. Maur. pag. 23) de Scripturae interpretatione loquens: « Oportet enim, inquit, *inviolabilem semper manere traditionem*, quae in vivifica gratia data est. » S. Cyrillus Hierosolymitanus (edit. Maur. pag. 297): « Idcirco nunc, ait, cautissime tibi tradidit fides ita tenendum, et in unam sanctam Catholicam Ecclesiam credendum, ut eorum abominanda collegia fugiens adhaereas semper sanctae catholicae Ecclesiae, in qua renatus es, quia *universe et absque defectu docet omnia*, quae in hominum notitiam venire debent *dogmata*, sive de visibilibus et invisibilibus, sive de coelestibus et terrestribus rebus. » Origenes de princ. lib. IV, n. 9 apposite scribit: « His qui credunt sacros libros non hominum esse scripta, sed inspiratione Spiritus Sancti, voluntate Patris universorum per Iesum Christum eos scriptos esse et ad nos pervenisse, ostendemus vias quae videantur intelligentiae, ut *inhaereant regulae coelestis Ecclesiae* Iesu Christi secundum *successionem apostolicam*. » S. Gregorius M. Prooem. in lib. I Reg. de sua expositione loquens, ait: « In quo sane opere lectorem flagito ut non verba ex eloquentium oratorum Sanctae Ecclesiae comparatione consideret, sed sententiarum intellectus *ex ecclesiasticae disciplinae rationibus* penset; quia, etsi iuxta Dei prohibitionem in eius domo nemus plantare nescio, *regulam tamen*, qua Sacra Scriptura *fideliter* exponitur in nullo derelinquo. » Verum nemo uberius hanc regulam ecclesiastici sensus proposuit et inculcavit quam S. Augustinus. Ex multis eius testimoniis pauca proferemus. In lib. II de Baptismo cap. IV loquens de Baptismo haereticorum illud validum esse contra omnes Scripturarum expositiones a Cypriano, Firmiliano alisque propositas absolute contendit ductus testimonio ecclesiasticae traditionis ut ipse fatetur: « Nec nos ipsi, inquit, tale aliquid auderemus asserere, nisi universae Ecclesiae auctoritate firmati, » et lib. I contra Crescon. Cap. 33 eandem regulam urget inquit: « Quisquis falli metuit obscuritate quaestionis, Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate Scriptura demonstrat. » Disertissime regulam negativam superius propositam urget lib. I de Gen. ad lit. cap. XXI, n. 41: « Didici, inquit,

non haerere homini in respondendo secundum fidem, quod respondendum est hominibus, qui calumniari libris nostrae salutis affectant; ut quidquid ipsi de natura rerum veracibus documentis demonstrare potuerint, ostendamus nostris literis non esse contrarium, quidquid autem de quibuslibet suis voluminibus his nostris literis, idest catholicae fidei contrarium protulerint, aut aliqua etiam facultate ostendamus, aut nulla dubitatione credamus esse falsissimum.... Et cum divinos libros legimus in tanta multitudine verorum intellectuum qui de paucis verbis eruntur, et *sanitate catholicae fidei* muniuntur, id potissimum deligamus, quod certum apparuerit eum sensisse, quem legimus; si autem hoc laet, id certe quod circumstantia Scripturae non impedit, et cum *sana fide concordat*, si autem et Scripturae circumstantia pertractari ac discuti non potest, saltem id quod *fides sana praescribit*. Aliud est enim quid potissimum Scriptor senserit non dignoscere, aliud autem a regula pietatis errare. » Eadem fere repetit in lib. XII Confess. cap. XXV et seqq. Alibi distincte incaleat cum negativum, tum positivum respectum analogiae fidei catholicae, ut in lib. III de Peccat. mer. et remis. Cap. IV agens de loco Apostoli Rom. V, 12, ubi ambigua esse dicit verba: *Adam qui est forma futuri*, et addit: « Nam et nos aliud inde aliquando diximus et aliud fortasse dicemus, quod tamen huic intellectui (peccati originalis) non sit adversum. Caetera vero quae ibi dicuntur, si diligenter advertantur ac tractentur..... etiamsi subobscurum pariant rerum ipsarum necessitate sermonem, non tamen poterunt alium sensum habere, nisi per quem factum est, ut antiquitas universa Ecclesia retineret, fideles parvulos originalis peccati remissionem per Christi baptismum consequutos. » Ad praxim quod attinet inutile esset singulos Patres commemorare, omnes enim hanc semper prae oculis normam habuerunt in Scripturis exponendis, ut nempe iuxta dictum Vincentii Lyrinensis: « Prepheticae et Apostolicae interpretationis linea secundum Ecclesiastici et Catholicum sensus normam dirigatur. »

Superfluum esset exempla afferre locorum S. Scripturae quae positive lucem accipiunt ex analogia fidei catholicae: haec enim norunt Theologi in omnibus fere tractatibus et quaestionibus occurrere. Speciminis causa sufficiat in mentem revocare ea loca

Scripturae quae doctrinam Sacramentorum respiciunt, et ea quae spectant ad potestatem Apostolorum, eorumque successoribus concessam. Ita ex. gr. nisi theologus ex Ecclesiae doctrina sciret sacramenta Baptismi et Confirmationis praeter gratiam sanctificantem etiam indelebilem characterem efficere atque animae imprimere, nihil tale suspicaretur in verbis Apostoli 2 Cor. I, 22: « Qui (Deus) et signavit (σφραγισαμενος) nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris, » aut in illis similibus Ephes. I, 13: « In quo et credentes signati estis (σφραγισθητε) Spiritu promissionis Sancto: » illa autem doctrina praecognita allusio ad characterem sacramentalem facile intelligitur. Ita etiam verba Christi Matth. XVIII, 18: « Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo: et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo: » nec non similia, sive eadem verba soli Petro dicta Matth. XVI, 19, quantumvis absoluta et generalia sint, difficile tamen esset speciatim de singulis obiectis ecclesiasticae iurisdictionis explicare, et intelligere, nisi accederet adequata fidei catholicae notitia de hac re, qua docemur Ecclesiae iurisdictionem tum ad forum internum, tum ad externum pertinere, ius autem comprehendere sive leges ferendi, sive iudicia exercendi, sive poenas irrogandi, quin etiam ius relaxandi per indulgentias poenas temporales peccatis debitas, hanc vero multiplicem potestatem ita a Christo pastoribus esse concessam ut in Petri successoribus absque ulla limitatione, seu in tota sua plenitudine resideat, in Episcopis etiam simul sumptis una cum Romano Pontifice plena, in singulis vero nonnisi ex parte et cum debitis restrictionibus agnoscenda sit.

Ex dictis duo corollaria sponte sua fluunt.

1° Nemo potest esse bonus interpres, qui non fuerit bonus theologus. Secus enim luce ista ac norma, quae est analogia fidei catholicae, orbatus in pluribus locis exponendis haerebit, aut etiam, quod gravius est, falsas proferet interpretationes utpote cum fidei analogia non concordantes.

2° Protestantes, et multo magis rationalistae, magno auxilio sese privant cum Ecclesiae magisterium reiciunt, et totam fidei analogiam ad biblicum parallelismum revocant, qui saepissime inadaequatus est ad claram et plenam doctrinae intelligentiam praebendam. Hinc omnes illae frigidae, ineptae et absurdae Scripturae

expositiones, quae tam frequentes in eorum commentariis aliisque scriptis occurrunt, quorum specimina si quis quaerat, praeter illa quae inferius allaturi sumus non pauca inveniet apud C. F. Ammonium in praef. et in notis appositis ad Ernesti *Institutio Interpretis N. T.* edit. 3<sup>a</sup>, ubi pervertit et corrumpit fere quidquid boni in interpretandis locis N. T. auctor ille protulerat. Cui malo frustra mederi conatur in praefatione monendo tyrones « ut hanc viam prudenter, et haud sine urgenti necessitate ingrediantur; aspera enim est, atque salebrosa, scopulorumque plena, ad quos vel cautissimus interpres facile offendant. »

Et haec de criteriis dogmaticis quae ex Ecclesiae magisterio sive directe, sive indirecte dimanant (1), simulque de universa tractatione regularum biblicae interpretationis.

#### APPENDIX

##### DE SUPREMO HERMENEUTICES BIBLICAE PRINCIPIO

In omnibus scientiis quaeri solet quodnam sit fundamentale ac supremum principium, ex quo tota scientia, eiusque certitudo pendeat: quare etiam de Hermeneutica biblica haec quaestio fuit proposita. De qua ut breviter dicamus primum *negative* respondimus refellentes quorundam opinionem qui falso asseruerunt *usum loquendi* esse supremum biblicae interpretationis principium, tum vero *positive* inquiremus quodnam principium tanquam supremum recte assignari possit.

I. Io. Iahnii in saepius citato *Enchiridio hermeneuticae* §. VII absolute pronunciat: « Usus itaque loquendi primorum lectorum et ipsius auctoris *primum et summum est hermeneuticae principium, a quo omnes regulae interpretandi pendunt.* Nequaquam igitur fluctuans aut arbitraria est interpretatio, ut quipiam opinari videntur, sed adstricta regulis necessariis et immutabilibus, quae non a priori pro voluntate deductae, aut ad libitum inventae, sed *ex usu*

(1) De his legendi sunt, praeter Melch. Canum *De Locis theologicis*, lib. XII, Stapleton *Controv.* lib. XI, aliosque antiquiores, Illms Ranolder *Hermen. biblicae gen.* Sect. I, Par. III, et egregius tractatus *De Divina Traditione* Emi Franzelin praesertim Thes. XVIII coll. cum Thesi VII et XI.

*loquendi* illius aetatis et regionis, tanquam facto quod infectum fieri nequit *erutae sunt.* » Huius auctoris sententiam a catholicis Scriptoribus vehementer impetitam defendendam suscepit Anonymus auctor (*Tumpacher*) *Vindiciarum Io. Iahnii*, nec non Ariglerus in *Hermen. bibl. gen.* Viennae 1813. Hanc tamen sententiam falsam demonstrabit sequens

#### THESIS XVI.

*Usus loquendi biblicus dici non potest primum ac supremum Hermeneutices sacrae principium.*

Ex Iahnii testimonio superius recitato apparet eum intelligere nomine *primi et supremi principii* criterium illud seu normam, quae simul fundamentum sit et origo omnium regularum Hermeneuticarum, quae scilicet omnium in se rationem contineat, et a qua omnes pendeant. Potest autem hoc intelligi vel respectu Hermeneuticæ universalis, vel in specie in ordine ad Hermeneuticam biblicam: adversarius sub hoc altero respectu principium illud enunciat, cum manifestum sit ex contextu §. VII (pag. 22 et 23) eum de Hermeneutica biblica loqui quam quidem *generalem* appellat quatenus ad utrumque Testamentum spectat, et opponitur speciali quae regulas proprias interpretandi vel Vetus vel Novum Foedus continet, ut ipse explicat §. 3: quod etiam confirmatur ex iis quae habet in §. 32, ubi affirmat in Hermeneutica biblica de Ecclesiae catholicae auctoritate (seu de criteriis catholicis) agendum non esse. Verum etiamsi quaestio institueretur de Hermeneutica stricte universali etiam tunc negandum esset *usum loquendi* esse primum Hermeneuticæ principium. Haec igitur duo breviter ostendemus.

I. Usus loquendi non potest haberi ut supremum Hermeneutices universalis principium in sensu exposito.

Ut aliquod principium vere primum ac supremum dici possit in aliqua scientia oportet ut per se notum sit, aut saltem ab aliis principiis eiusdem scientiae non dependeat, ut coetera principia ac regulas omnes eiusdem scientiae virtualiter includat, ut omnibus casibus applicari possit. Atqui usus loquendi sive generalis totius gentis ac aetatis ex qua liber descendit, sive etiam specia-

lis et propriis uniuscuiusque auctoris praedictis dotibus caret. Ut enim demonstravimus, unusquisque scribens vel loquens non philologicis tantum, sed et logicis ducitur regulis, unde fit ut interpres ad eius mentem assequendam praeter cognitionem linguae, qua ille scripsit, vel loquutus est, necesse habeat etiam coeteras hermeneuticas regulas adhibere, puta considerationem contextus, locorum parallelorum, occasionis sermonis, externorum adiunctorum. Huiusmodi autem criteria logica sive interna sive externa tantum abest quominus ab usu loquendi dependeat, aut in illo fundentur, ut viceversa ipse usus loquendi in concreto spectatus illis subordinetur, et ultimam determinationem, qua saepe caret, ab illis accipiat. Ergo nec primum principium, nec independens, nec adaequatum et universale dici potest.

II. Verum multo minus haberi potest ut supremum principium Hermeneuticae biblicae.

Et sane praeter defectum praedictorum characterum aliae etiam speciales rationes occurrunt cur id admitti nequeat. Praetermissio enim quod ipse usus loquendi biblicus praesertim V. T. non possit perfecte et adaequate cognosci, ob summam Librorum antiquitatem, et monumentorum inopiam, unde eius notitia haurienda esset, hoc, inquam, omisso, specialis defectus huius principii exurgit 1<sup>o</sup> ex ipsa Scripturarum sublimitate, et obscuritate. Ex hoc enim fit ut cognitioni usus loquendi tantum fidere non possit interpres, nec rectum sensum in pluribus locis imprimis dogmaticis definire, nisi pluribus aliis subsidiis adiutus tum rationalibus, tum praesertim dogmaticis, quae lucem tenebris affundant, et eum errare non permittant. At 2<sup>o</sup> etiamsi fieri posset ut interpres ex solo usu loquendi omnia Scripturae loca intelligeret, adhuc multum deesset quominus illum dicere possemus primum et supremum interpretationis principium. Siquidem supremum principium in qualibet scientia polleere debet maiori, aut saltem pari firmitate et certitudine ac omnes conclusiones seu veritates eiusdem scientiae, quae ab eo derivantur. Iamvero cum agitur de Scripturarum sensu eruendo, agitur de veritatibus quae fidem et mores respiciunt, quaeque credendi et agendi normam fidelibus praebere debent, quas proinde oportet extra omnem dubitationis aleam collocare. Porro quaecumque vis tribuatur usui loquendi, imo et universae

hermeneuticae rationali, nunquam rem eo perducet, ut infallibiliter certae sint conclusiones inde deductae, idest ut infallibiliter certum sit hunc vel illum revera sensum cuidam Scripturae loco subesse. Unde oritur necessitas magisterii Ecclesiae, quae aut iudicio suo quaestionem dirimat et dubitationem omnem removeat, aut iugi et definita doctrinae expositione ac professione interpretem moneat quos sensus vitare oporteat, verumque locorum doctrinalium sensum insinuet. Quapropter usus loquendi biblicus, quamvis interpreti sedulo investigandus, ac discendus sit, supremam tamen ei normam nequaquam suppeditat. Nam enim philologicam cognitionem, quantumcumque sit, coniungere, aut etiam subordinare debet coeteris criteriis interpretationis, et imprimis iudicio et sensui sanctae Matris Ecclesiae. Ergo si principium Jahnii accipitur prout ab eo enunciatum est non potest admitti. Et haec satis de prima quaestione.

*Quaestio 2<sup>a</sup>.* Quodnam vere sit supremum Hermeneuticae biblicae principium.

In huiusmodi quaestione catholici scriptores (de quibus tantum hic sermo esse potest) admodum inter se dissentire prima fronte videntur. Antiquiores enim cum de Scripturae interpretatione loquantur generatim affirmant auctoritatem, seu iudicium Ecclesiae supremum esse interpretationis biblicae principium. Imo cl. Mellini in Instit. Bibl. Tom. I, Dissert. III, Cap. III, Art. 3 absolute pronunciat: « Supremum interpretationis principium a catholicis omnibus recte constituitur in Ecclesiae auctoritate, et Sanctorum Patrum consensu. » His consentit Etnus Franzelin in saepius laudato Tract. de Div. Tradit. Thes. XVIII, quae ita se habet: « Praedictio Ecclesiastica est suprema norma interpretationis SS. Scripturarum. » Verum alii aequae orthodoxi scriptores aliter quaestioni respondent. Ita ex. gr. Kohlgrüber *Herm. bibl. generalis* Vienne 1850 Proëm. §. 8, ita scribit: « Quapropter supremum hermeneuticae biblicae principium hac formula enunciandum existimo: *Cura, ut e Sacra Scriptura idem percipiatur sensus, quem haerographi, consideratis legibus, quibus biblicum cogitationum commercium tenetur, in ea deposuisse censendi sunt.* Cui enunciationi inesse omnes supremae normae interpretationis biblicae dotes sequentibus evincitur. » Quod in sequentibus breviter ostendit. Aliter

respondet G. J. Günter in *Hermen. biblica, generali iuxta principia catholica* Prage 1863, ubi, distincta Hermeneutica communi ab Hermeneutica catholica, duplex quoque distinguit supremum principium; primum quidem Proleg. §. VI, ita: « *Est vero supremum hermeneuticæ communis principium sequens: Sensum loquentis ope usus loquendi, orationis contextus, nec non conditionis tam internæ quam externæ loquentis cognosce, et pande:* » vel aliis verbis, ut ibidem in nota 2: « *Sensum dictorum e communibus loquendi legibus ad peculiarem loquentis conditionem applicatis cognosce, et pande:* » Hermeneuticæ vero catholicæ supremum principium in §. XVII dicit esse regulam Concilii Tridentini, idest: *Scripturam exponendam esse iuxta sensum Ecclesiæ et unanimum consensum Patrum*. Cum vero Hermeneutica catholica a rationali, seu communi separari non possit, sed ambo unam eandemque scientiam constituent, sequeretur neutrum ex enunciatis principiis tamquam supremum totius biblicæ Hermeneuticæ principium haberi posse.

Ut hæc auctorum discrepantia removeatur, et confusio in hac re vitetur duas quaestiones distinguendas esse credimus. Alia est quaestio de suprema norma biblicæ interpretationis, alia vero est quaestio de supremo principio, seu potius formula quæ totam Hermeneuticæ indolem ac naturam complectatur, paucisque verbis enunciet. Prima quaestio Theologica est, et summi momenti, altera vero mere logica et didascalica. Porro circa primam quaestionem iterum distinguendum est principium supremum secundum dignitatem tantum ac certitudinem, seu, uti aiunt, *secundum quid*, a principio supremo secundum omnem respectum, seu *simpliciter et absolute*, quod scilicet a coeteris omnibus independens sit, et a quo coetera pendeant. Quibus declaratis, ita censemus utrique quaestioni respondendum. Iudicium Ecclesiæ, sep in genere catholicis intellectus, uti Patres eum vocant, sine dubio habendum est tamquam supremum criterium interpretationis ratione habita dignitatis ac certitudinis. Est enim norma infallibilis, cui nulla alia ex rationali Hermeneutica deprompta comparari potest. Et hoc est quod sibi voluerunt tot catholici auctores cum hanc normam supremam biblicæ interpretationis appellarunt. Verum si quis contenderet hoc esse criterium supremum *absolute* et sub omni respectu, in

sensu superius declarato, non videmus quomodo id persuadere posset. Siquidem imprimis interpretatio Ecclesiastica, quantumvis extendi velit, numquam influere poterit in expositionem universæ Scripturæ saltem ut norma positiva: et sane magna pars Scripturarum historiam, aut res naturales continet in quibus explicandis frustra quaesieris sensum et interpretationem Ecclesiæ, quæ de his locis ac rebus iudicare non solet; quare interpres destituitur in his omnibus supremo illo criterio, et ex aliis dirigi debet sive rationalibus, sive etiam dogmaticis sed tantum negative sumptis, quatenus non possit interpretationem proferre quæ involveret errorem sive contra Scripturæ inspirationem, sive contra Ecclesiæ fidem. Præterea principium seu norma absolute suprema, ut alias diximus, debet esse principium et fundamentum coeterarum regularum in eadem scientia: atqui regulæ illæ catholicæ non continent fundamentum et rationem coeterarum Hermeneuticæ regularum, pata contextus, usus loquendi et similia, quæ ex diversis omnino principiis derivantur, et plus minus valent etiam in libris profanis quos regulæ catholicæ non respiciunt: quamvis verum sit hæcæ omnes regulas communes seu rationales cum norma illa catholicæ interpretationis pugnare non posse.

Si vero fiat altera quaestio logica de principio, seu formula generali quæ totum obiectum et scopum interpretationis paucis enunciet, libenter admittere possumus formulas illas a Kohlgrüber, aliisque auctoribus propositas, qui sub hoc respectu quaestionem considerant; vel, paulisper immutatis verbis, dicere possumus totam Hermeneuticæ biblicæ orthodoxæ obiectum et opus hoc præcepto includi: « *Mentem Hagiographorum per regulas interpretandi rationales, respectu tamen habito, intrinsece quidem ad divinam Scripturarum inspirationem, extrinsece autem ad Ecclesiæ docentis testimonium, ac magisterium, dignosce, atque aliis propone.* » In hac vero formula, et in tota quaestione mentionem fecimus etiam de sensu Scripturæ aliis proponendo, quod est alterum interpretis officium, de quo in tertia parte dicturi sumus. Sed hoc ex intimo nexu inter utrumque officium fieri debuit. Tota tamen ratio responsionis pendet ex primo et principali officio investigandi et inveniendi sensum auctoris, et ex natura principiorum, quæ illud determinant ac dirigunt.

Ita finem imponimus universae tractationi de criteriis ac regulis sive rationalibus, sive dogmaticis, quae ad sensum Scripturae inveniendum opportuna ac necessaria existimandae sunt. Nunc possumus tuto accedere ad expendenda falsa criteria, et falsas regulas ab eterodoxis scriptoribus assignatas, quorum examine ac refutatione concludemus hanc alteram partem Hermeneutices biblicae.

### SECTIO III.

#### DE PRAVIS QUIBUSDAM SACRAM SCRIPTURAM INTERPRETANDI PRINCIPIS, AC METHODIS

Propositum nobis est non omnes pravas interpretandi methodos hic enumerare, cum humani ingenii aberrationum nullus sit finis: sed de iis tantum dicere quae in historia Exegeseos celebritatem quamdam adeptae sunt, et praecipue de illis quae hac nostra aetate vel prodierunt, vel favorem invenerunt, et a quibus proinde studiosis Scripturarum maxime cavendum est. Primum vero de antiquis breviter, deinde de recentioribus dicemus.

#### CAPUT I.

##### DE FALSIS QUIBUSDAM INTERPRETATIONIS METHODIS APUD ANTIQVIQRES RECEPTIS

Duas tantum hic memorabimus, nempe 1<sup>o</sup> *Cabbalam*, seu methodum cabbalisticam, 2<sup>o</sup> methodum *allegoricam*, seu allegoricae interpretationis excessum quorundam veterum interpretum.

I. *Cabbala* chaldaice idem est ac doctrina *accepta* (per traditionem); verum apud Rabbinos, et deinceps apud Christianos haec vox speciatim adhibetur ad significandam methodum quamdam interpretandi sacros Libros, qua ex mysticis quibusdam et conventionalibus verbis, et variis verborum hebraicorum, syllabarum et literarum comparationibus et calculis contendunt mysteria et abditos sententiarum biblicarum sensus erui posse. Aiunt enim huius artis magistri Moysem duplicem legem a Deo accepisse, alteram scriptam, alteram oralem, quae scilicet scribenda non esset, nec omnibus

revelanda, sed tantum senioribus quibusdam, qui viva voce illam per varias generationes usque ad ultima tempora dicantur transmississe. Hanc oralem traditionem dicunt esse legis scriptae interpretationem, quam rursus dividunt in *legalem* quae in Talmude reperitur, et *mysticam*, quam strictiori sensu *cabbalisticam* seu *cabbalam* appellant. Auctores Hebraeorum qui hanc methodum Scripturam interpretandi excoluerunt *cabbalists* audiunt: quorum praecipuus fuit Babbi Simon-Ben-Jochai, qui initio saeculi secundi aerae vulgaris floruit: ex huius dictis et interpretationibus discipuli serius volumen quoddam conlarunt *Zohar* (ספר הזוהר) dictum quod est praecipuum opus cabbalisticum. Huic operi postea ad complementum additi sunt alii tractatus: ut ex. gr. (ספר הבהיר) *Sepher habbehir*, (זוהר חדש) seu *Zohar novum*, (ספר וצירה) *Sepher Ietsirah*, et alii nonnulli. Hi libri obscurissimi sunt et peculiari terminologia utuntur non multum dissimili a Gnosticorum loquendi ratione. Omnia entia dividunt in quatuor mundos scilicet *Emanativum*, *Creativum*, *Formativum*, et *Factitivum*. Mundus emanativus complectitur decem *Sephiroth* (seu splendores), quarum tres priores praecipuae sunt, et supremam classem efformant: primam appellant *Coronam supremam*, seu Infinitum (אין סוף), secundam, quae ex prima emanat, *Sapientiam* (חכמה), tertiam ex duabus antecedentibus emanantem vocant *Intelligentiam* (בינה). Has tres *Sephiroth* inscribunt tribus circulis concentricis. Septem aliae *Sephiroth* aliam classem constituunt quam vocant *cognitionem* (דעת) et sunt inferioris gradus sub nominibus sequentibus: *Magnitudo*, *Vis*, *Pulchritudo*, *Aeternitas*, seu victoria (נצח), *Gloria*, *Fundamentum*, *Regnum*: de quibus pertractat R. Joseph Ghicaitilla in libro cui titulus: שערי אורה *Portae luminis*. Decem *Sephiroth* decem circulis inscriptas disponunt in formam arboris quae dicitur *arbor Cabbalistica*. Similiter alios tres mundos dividunt in varias formas, unde similes arbores oriuntur. Sed sufficiat haec inuisse. Cabbalistica methodus subdividitur in tres praecipuae species, quae vocantur *Gematria*, *Notaricon*, et *Temura* pro vario artificio quo utuntur ad sensus eruendos; *Gematria* (ex Graeco γεμετρία) valorem numericum literarum hebraicarum considerat, *Notaricon* singulas literas pro integris vocabulis ab eis incipientibus accipit, demum *Temura* literas vario modo intermutat, et componit ut